

videlicet altare templi et quod etiam gentiles ex instinctu naturæ aliqua loca designaverint quæ vocabantur *asyli*. Non valet, inquam, quia, præterquam quod Abulensis c. xxv, Josue q. 7 et alii plures negant templum Jerosolymitanum pro asylo constitutum fuisse, dato etiam hoc, et non concessio, hujusmodi lex post mortem Christi, utpote ad cæremonialia pertinens, jam expirasset; unde jus asyli jam non habetur ex veteris legis obligatione, sed solum ad quamdam similitudinem et secundum congruam juris naturalis æquitatem (quam etiam gentiles agnoverunt) de facto per jura humana, tum civilia, tum canonica ecclesiis, aliisque locis piis concessum fuit. (10. Neque in nostra nova lege Evangelica habetur aliquod jus positivum, sive scriptum, sive apostolis traditum, decernens talem immunitatem, siquidem Christus præter leges naturæ et fidei nullas leges cæremoniales præscripsit, nisi circa ritus sacrificii et sacramentorum, reliqua Ecclesiæ statuenda relinquens. Sic tenent Suar. tom. I de religion. lib. III de locis sacris c. 8, n. 8, 10, 11 et 13. Covarruv. lib. II resol. cap. 20, num. 1, 2 et 3. Layman lib. IV, tract. 9, c. 3, q. 1, n. 1. Pirhing. lib. III, Decretal., tit. 49, sect. 4. num. 15. Engel. ibid. nu. 7. Zoesius ib., num. 6. Sannig ibid., c. 2, n. 1. Reiffenstuel ibid., num. 22 et lib. II, tit. 2, num. 131, et in Theologia morali tract. 12, dist. 2, num. 2, cum communiori aliorum contra Delbene de immunitate et jurisdiction. eccles. cap. 16, dub. et num. 2, ubi illud jus naturale esse asserit, et contra Fagn. in appendice de immunitate, c. 2, num. 9. Decium et Tuscum existimantes esse juris divini positivi.

(11. Quam sententiam, scilicet jus asyli etiam in Novo Testamento esse juris divini naturalis vel positivi, non improbabilem censet etiam Reiffenstuel lib. III, Decretal. tit. 49, num. 26. Eo vel maxime quod videatur ei favere sacra Scriptura locis citatis sub num. 6. Tridentinum sess. 25, c. 20 de *Reformat.* per verba adducta sub num. 7. et c. *Quanquam* 4 de censibus, in 6, et quia apud omnes fere gentes vigeat tale jus asyli, ut videre est apud ipsum Reiffenstuel loc. cit. num. 26. Covar. loc. cit. c. 20. Gonzalez in c. *Inter alia* 6, de immun. eccles., num. 9, et alios.

(12. Tamen ad id de Scriptura et gentilibus fuit jam responsum sub num. 10, et ad Tridentinum et textum canonicum communiter respondetur non loqui de immunitate locali, seu asyli, sed solum de immunitate reali et personali, id est de immunitate personarum ecclesiasticarum, et rerum ad eos vel ad Ecclesias pertinentium, quam esse de jure divino etiam nos docuimus sub n. 7. (13. Et si quis contendat Tridentinum loco citato loqui etiam de immunitate locali, seu de jure asyli, respondetur quod, ut jura juribus concordentur juxta c. *Cum expediat*, de elect. in 6, quantum ad immunitatem asyli plus non vult concilium quam ipsam ad imitationem veteris legis, (14. atque instinctu divino per canonicas sanctiones constituta esse. Tum quia, si jura asyli essent de jure divino

naturali nunquam potuissent, nec adhuc possent mutari, quia jura naturalia semper firma et immutabilia permanent, ut dicitur § *Sed naturalia* 11 inst. de jure naturali, Gent. et civil. nec potuissent ab aliquo etiam summo pontifice minui, immutari, aut dispensari, cum inferior in lege superioris nullam habeat potestatem; c. *Cum inferior*, 16 de majorit. et obed. et Clement. *Ne Romani*, de election. Neque potuissent consuetudine abrogari, aut eis in aliquo derogari, cum consuetudo contra jus divinum nihil valeat; cap. *Cum tanto*, 11 de consuetudin. Atqui jus asyli per pontificem fuit immutatum, quoad certa crimina et personas restrictum ac limitatum, ut patet ex c. *Inter alia*, 6. de Immunit. eccles. et ex constitutionibus Gregorii XIV et Benedicti XIII art. seq. adducendis, adeoque, etc.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. Quæstio, num immunitas personalis sit de jure divino an potius humano, magni momenti est, et sursum atque deorsum versata, non modo a jurisconsultis, sed etiam a theologis. (16. Nam alii contendunt clericos privilegio fori uti de jure divino. (17. Ita auctor, num. 7 et qui ab ipso allegantur. E diverso alii in contrarium nituntur id esse de jure humano; ita Innocent., in cap. 2 de Major. et Obed. Alciat. in c. *Cum non ab homine*, de Judic. et alii apud Peregrin. de Immun. eccles. in princip. quos ex theologis sequitur Medina in tit. de *Restit.* quæst., 15.

(18. Mihi haud displicet opinio Covarruv. 3, practic. 31, qui distinguit ut, si agatur de rebus spiritualibus, clerici immunes sint de jure divino a jurisdictione laicorum, si autem de rebus temporalibus, de jure humano sint exempti ex legibus potissimum Constantini Magni in c. de Episc. et Cleric.

(19. Prima pars probatur, quia summus pontifex de jure divino ex institutione Christi positus est ad regimen Ecclesiæ, cum ei dedit potestatem pascendi oves suas, solvendi et ligandi, deditque claves regni cælestis, et voluit, ut aliquando conversus confirmaret fratres suos. (20. Ex quibus pontifex factus est in spiritualibus caput totius orbis Christiani, et præsertim clericorum qui militantis Ecclesiæ partes sunt magis connexæ. Hi igitur ex eodem jure divino facti in spiritualibus sunt subditi summi pontificis a quo regi debent, nam ex quo jure est potestas capitis, ex eodem est subjectio subditorum.

(21. Patet altera pars, tum ex dictis, tum etiam quia ipsi clerici in sacris constituti a summo pontifice sæpe judici laico traduntur ut eosdem puniat, cap. *In audientia*, cap. *Contigit*, cap. *Perpendimus*, de Sent. Excomm. cap. *Ex parte*, de Privil. cap. *Ad abolendam*, de Hæretic. (22. Ergo exemptio fori clericorum in temporalibus juris est humani; idque, quia summus pontifex non solum immutare haud potest jus divinum, sed nec ob causam licet justam dispensare, bene vero declarare et interpretari.

(23. Nec negotium facessere debet can.

Si imperator dict. 97 ubi Joannes pontifex ait: « Clerici ex divina institutione a summo pontifice sunt judicandi, » quod etiam habetur in cap. *Quanquam*, de censib. in sexto. (24. Nam, ut recte observavit Covarr., ubi supra, jus divinum ibi usurpatur pro canonico, quod novum haud est.

(25. Hinc facile est judicare quid dicendum sit de Justiniano, qui in leg. *Si quis in conscribendo*, Cod. de Pactis statuit sacerdotem qui se non usurum promiserit exceptione fori promissis stare teneri, ita ut possit dein coram laico convenire, ea reddita ratione quod possit quisque juri pro se introducto renuntiare. (26. Non ignoro in hoc textu explicando se varie torquere DD. eorumque plurimos Justinianum reprehendere quod legem tulerit statui ecclesiastico contrariam. (27. At distinguendum videtur potestatem inter et justitiam. (28. Porro potuit Justinianus id statuere, cum, ut mox dictum est, fori privilegium quod habent clerici in temporalibus sit juris humani, sed non juste fecit, quia ratio qua Justinianus utitur minime convincit. (29. Nam regula quæ ait posse quemque juri suo renuntiare, intelligitur cum jus est personale, quod sane non accidit in clericis, quorum exemptio in gratiam totius collegii ecclesiastici est inducta. (30. Qua de ratione recte in cap. *Si diligenti*, de For. competent. corrigitur lex Justiniani, et statuitur ut clericus ne juramento quidem possit foro suo renuntiare.

(31. Inficias haud eo sæpe Justiniano libuisse pervertere Christianorum sanctiones, ut inquit Procopius in Historia Arcana, pag. 123. At sæpius non tam pervertit quam præscripsit. (32. Nam quidquid in canonibus ecclesiasticis erat insigne, id voluit auctoritate sua stabilitum, declaratum ac pœnis vindicatum. (33. Factum hinc est ut episcopi Orientales ex Justiniani legibus eas sibi concinnaverint regulas quas *Nomocanones* nuncuparunt. (34. Nomocanonem enim scripsit Joannes Scholasticus, quia a Justiniano suffectus est Eutychio C. P. patriarchæ in exilium pulso. (35. Alium postmodum composuit Photius patriarcha etiam C. P. quem Theodorus Balsamon notis suis illustravit.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ specialiter concernunt immunitatem localem, seu jus asyli, loca, delicta et personas quibus competit, vel non.

(1. Immunitas localis, seu jus asyli est ecclesiis et sacris aliis quibusdam locis competens, confugientibus ad ea malefactoribus securitatem præstans ad hoc quod inde violenter extrahi non possint, nec in vita nec in membris puniri valeant. Est in re communis arg. c. *Inter alia* 6, de Immun. Ecclesiar. (2. Immunitate, seu jure asyli gaudent omnes ecclesiæ auctoritate episcopi erectæ, c. *Inter alia* 6, de Immunitat. eccles. et concordat c. *Immunitatem* 10, eod. cap. *Eos qui* 6, dist. 87, cap. *Sicut antiquitus* 6, cap. *Reum* 9, cap. *Si quis* 20, cap. *Definit* 35 et cap. *Id constituimus* 36, caus. 17 qu. 4.

(3. Etsi nondum sint consecratæ, textu expresso in cap. *Ecclesiæ* 9, de Immunitat. eccles. ibi: « Ecclesiæ in qua divina mysteria celebrantur, licet adhuc non exstiterit consecrata, nullo modo privilegium immunitatis admittitur. » (4. Imo etiam si in iis divina adhuc non sint celebrata; arg. cit. cap. *Ecclesiæ*, ubi pro ratione immunitatis subjungitur: « Quia obsequiis divinis dedicata nullis est temerariis usibus profananda; » Unde, cum pro ratione ibi pontifex non allegat celebrationem divini officii jam factam, sed quia obsequiis ac officiis divinis est dedicata seu deputata, debent Ecclesiæ gaudere immunitate, etiam si in iis divina adhuc non sint celebrata cum ex eo solo quod ecclesiæ auctoritate episcopi ad usus sacros sint deputatæ, jam existunt loca sacra ac religiosa, ita ut ad usus profanos redire et applicari amplius nequeant textu claro in cap. *Ad hæc* 4 de religiosis domibus, et sic tenent Abbas in cit. cap. *Ecclesiæ*, num. 5; Fagnan. ib. numer. 8; Hostiens. ibid. verb. *Celebratur*; Barbosa lib. II Jur. Eccles. univers. cap. 3, numer. 59. Covarruv. lib. II variar. resolut. cap. 20, num. 4, et alii communiter. (5. Quinimo immunitate gaudent etiam ecclesiæ interdictæ. Fagnan. in cit. cap. *Ecclesiæ* 9, de Immunit. ecclesiar. num. 11; Abbas ib. numer. 7. Ventriglia tom. II, annotat. 23, § de Immunit. eccles., num. 5; Pirhing. lib. III Decretal. tit. 49 num. 3; Reiffenstuel. ibid. num. 29; Engel. ib. num. 11; Layman. lib. IV tract. 9, cap. 3, num. 2; Silvester verb. *Immunitas* 1, q. 1, dicto 2, Barbosa loc. cit. num. 60, cum plurimis aliis ibi citatis. (6. Immunitate gaudent etiam ecclesiæ pollutæ. Fagnan. loc. cit. num. 13; Ventriglia loc. cit. num. 5; Barbosa loc. cit. num. 61, cum Suarez, Giurb., Bonacin., Bobadill. et Fagundez ibi citatis, et alii n. anteced. adducti. (7. Item gaudent immunitate ecclesiæ dirutæ, dummodo non sint dirutæ auctoritate episcopi, et subsit spes reedificationis, arg. cap. *Quæ semel* 4, caus. 19, q. 4, l. *Æde sacra* 73, ff. de Contrahend. Emption. Fagnan. loc. cit. num. 14; Engel. loc. cit. num. 10; Ventriglia loc. cit. num. 4; Barbosa loc. cit. num. 62, cum plurimis ibi citatis, et alii passim.

(8. Immunitate gaudet cæmeterium, quantum ab ecclesia separatum, dummodo auctoritate episcopi sit designatum, capit. *Cum ecclesia*, de 5, Immunit. ecclesiar. Fagnan. loc. cit. n. 21; Barbosa loc. cit. n. 63, cum plurimis ibi citatis, et alii communiter. (9. Item immunitate gaudet porticus ecclesiæ, cap. *Si quis contumax* 20, caus. 7, q. 4, et declaravit sac. cong. Immunit. in Spoletana 7 Febr. 1630, in Camerinen. 3 April. 1635, in Asculana 20 Decembris 1657, et in Dertonen. 9 Septem. 1670; apud Pignatell. t. I consult. 171, sub n. 15 in fin. (10. Item immunitate gaudet atrium cit. cap. *Si quis contumax*, 20, et cap. *Id constituimus* 36, caus. 17, q. 4. (11. Item immunitate gaudet tectum, cum supra illud existens dicatur esse intra situm ecclesiæ. Suarez tom. I, tract. 2, lib. III, cap. 9, num. 8, vers.

Sed quid si quis supra tectum; Peregrin. de Immunitate numer. 282; Diana part. vi, tract. 1, resolut. 73; Sperell. decis. 63 n. 9; Ventriglia loc. cit. num. 9; Barbosa loc. cit. n. 66, et alii passim. (12. Item immunitate gaudet campanile ecclesiae, quamvis ab ipsa disjunctum sit, dummodo non ultra triginta passus distet, ut bis declaravit sac. Congreg. apud Delben. de Immunitate d. 9, sect. 6; Diana part. iv, tract. 1, resolut. 108; Joan. Anton. Navar. tit. de Immanit. eccles., num. 26; Barbosa loc. cit. num. 66; Reiffenstuel. loc. citat. num. 29; La Croix lib. iv sub num. 1392, et alii. Rev. tamen dominus Josephus Maria Maraviglia sustinet mordicus quod campanile sejunctum nulla gaudeat immunitate, quia non potest dici pars formalis ecclesiae, cum non sit consecratum neque benedictum. Additque privilegia immunitatis esse stricte interpretanda tanquam odiosa et contraria juri communi, derogat enim immunitas juri publico quod vult quod delicta non remaneant impunita. Vide ibi legem 287 *Prudentiae episcopalis*. (13. Item sacristia, si ecclesiae vel coemeterio cohaereat, et etiam non cohaerens si altare habeat; secus autem si non cohaereat ecclesiae vel coemeterio, nec altare habeat ad celebrandum; Sperell. dec. 61; a principio, et decis. 62, num. 19; La Croix loc. cit. cum variis aliis; Ventriglia loco citat. num. 12, ubi dicit hoc certum esse. (14. Item immunitate gaudent scalae exteriores ecclesiae; Suarez tom. I tract. 2, lib. iii, cap. 11, num. 9; Barbosa loc. cit. num. 66, cum pluribus aliis; Farinae. tract. de Immunit. n. 180, ubi refert sac. Congreg. ita censuisse.

(15. Item immunitate gaudent fores, seu portae ecclesiae saltem manu tactae et apprehensae, cum clausae reperiuntur; Suarez loc. cit. lib. iii, cap. 9, n. 8; Navarr. in Manual. cap. 25, num. 17 ad finem; La Croix lib. iv sub num. 1392; Barbosa loc. cit. num. 65; Pignatell. t. 6, consult. 4, num. 81, et sequent. ubi ad propositum affert declarationes ac decreta sacrae Cong. praesentis tenoris: «Innexus stipiti portae ecclesiae gaudet immunitate, in Amerina 28 Maii 1628.» Item, «evadens e manibus Birruariorum, et adhærens valvis ecclesiae gaudet immunitate, in Firmana 13 Jul. 1657.» Item «tenens annulum valvarum ecclesiae gaudet immunitate, 9 Septembris 1638.» Item «qui in actu carcerationis cohaereat valvis ecclesiae unico pede et unica manu gaudet immunitate, in Brundusina 4 Septembris 1640 (84).» Item, «captus a Birruariis in janua conventus seu Monasterii gaudet immunitate, in Rossanen. 18 Febr. 1653.» (16. Sic etiam gaudet immunitate qui tangit aliam partem exteriorum ecclesiae, v. g. muros, Barbosa loc. cit. num. 65; Riccius in praxi tom. III, resolut. 560, n. 8; Navarrus in summa bullae de Immunitate num. 16; Bonacina disp. 3, in Decalog. 3, punct. 4, num. 5; Pignatell. loc.

(84) Quantam templorum januis ac vestibulis reverentiam habuerint gentiles ipsi et veteres Christiani animadvertit vir doctus Emmanuel Gon-

cit. n. 82, affert sequentia decreta sacrae Congreg. «Adhærens muro ecclesiae gaudet immunitate, in Amerina 18 Febr. 1632, et in Camerinen. 13 Jul. 1638.» Item qui elapsus e manibus satellitum confugit ad ecclesiam et apprehendit parietem, aut seras valvarum gaudet immunitate; sac. congr. Episcop. 31 Martii 1604, et 15 Jul. 1614, et 20 Decemb. 1616, refert Pignatell. loc. cit. n. 107.

(17. Privilegium immunitatis non restringitur ad portas aut parietes vel atrium ecclesiae tantum, sed per quadraginta passus in majori ecclesia, et per triginta in capellis, vel minoribus ecclesiis extenditur circumquaque, ut est definitum in cap. *Sicut antiquitus* 6, caus. 17, quæst. 4, ibi: «Sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus, ut major ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat, capellæ vero, vel minores ecclesiae triginta; qui autem confinia earum infringere tentaverit, aut personam hominis, vel bona ejus inde subtraxerit . . . excommunicatur,» et concordat cap. *Definivit* 45 ead. caus. 17, et q. 4, et utrobique notant, et tenent gloss. archidiaconus et doctores omnes, ut testatur et sequitur Fagnan. in cit. cap. *Ecclesiae* 9 de Immunit. ecclesiar. n. 16; Covarruv. lib. ii variar. resolut., cap. 20, n. 5; Hostiens. in cap. *Inter alia* 6, de Immunit. eccles., num. 2, et ibi etiam Joann. Andr. n. 7; Abbas in ultim. notab.; Felin. num. 2, et Marian. Socin. n. 16; Silvester verb. *Immunitas* 3, num. 1; Barbosa in citat. cap. *Sicut antiquitus* 6, caus. 17, q. 4; Reiffenstuel lib. iii Decretal., tit. 49, num. 31. Turrecremata, Præpositus, et alii. (18. Dicta autem immunitate triginta passuum pro ecclesiis minoribus non gaudent ecclesiae seu capellæ, quæ sunt intra ambitum murorum castellorum, ut expresse habetur in cap. *Quisquis* 21, caus. 17, qu. 4, ibi: «Capellæ quæ sunt infra ambitum murorum castellorum, non ponuntur in nae triginta passuum observatione.» Et ratio est, quia si dictæ ecclesiae, seu capellæ gauderent immunitate etiam ad triginta passus, ob loci angustiam, immunitas fere totum castrum quandoque absorberet, ut observat Glossa 1 in cit. cap. *Sicut antiquitus*; et docet Fagnan. loc. cit., num. 17; Covarruv. loc. cit., num. 5; Abbas in cit. cap. *Ecclesia*, num. 10; Reiffenstuel loc. cit., num. 32; Silvester loc. cit. et alii communiter.

(19. Imo non desunt qui dicant, jus asyli in spatio quadraginta vel triginta passuum pro omnibus ecclesiis sublatum esse consuetudine contraria, sicque non amplius observari posse, aut debere; arg. cap. *Cum tanto* 11 de consuetudin. Ita Igneus in l. i in princip., num. 88, ff. ad Sillanian. quem refert Remig. de Immunitat. eccles., fol. 52 in 6, ampliation. Clarus in § fin. qu. 30, vers. *Hinc est*, ubi dicit non esse ab hac communi consuetudine recedendum, præterquam in

zalez ad c. 5 de Immun. eccles. num. 5. (EDIT. BARBIELL.)

domibus ecclesiae coherentibus; Covarruv., loc. cit. num. 5; Haunold., de Just. et jur. tom. VI, n. 152, et ex Zerola in praxi episcop. part. i, verb. *Immunitas*, § 12, testatur Engel., lib. iii Decretal. tit. 49, a num. 10, hodie immunitatem non attendi ultra fines coemeteriorum, et card. de Luca, lib. xiv, p. 4; Miscellan. disc. 12, n. 17, dicit, quod immunitas talis spatii prope ecclesias recessit ab aula, et Pignatell., tom. I consult. 433, ubi postquam ad quæsitum; (20. An carceratus infra spatium quadraginta passuum circa cathedralem gaudere debet immunitate, sitque restituendus? respondit affirmative, si adsit consuetudo, et ita declarasse sac. congregationem Immunitatis in Interamnien. pro Petro Paulo Mangonio, 17 Jul. 1663, subjungitur: «Verum ead. sac. congregatio die 27 Jan. 1665, cognito per plurimos casus, quod gravia inferat publicæ quieti Narniensis civitatis præjudicia plateam ecclesiae cathedralis ex quadam veteri consuetudine haberi pro loco immuni, cujus securitate quam sæpissime abutuntur criminosi, contumaces et debitores maximo non sine justitiæ detrimento, censuit si sanctissimo D. N. placuerit, plateam eandem in posterum pro loco immuni non habendam, et existimandam, ac ad ipsam confugientes immunitate eccles. non gaudere, injungendumque episcopo, ut triduo a publicatione hujus decreti, eam ut talem teneri curet, et mandet quibuscunque non obstantibus.» Et facta relatione sub die 21 Februarii 1665, sanctissimus annuit, et ita exsequi jussit. Et idem Pignatell., tom. VI consult. 25, n. 13, cum multis ibi citatis concludit hos passus gaudere si adsit in loco legitima consuetudo juxta supra allatum decret. in Interamnensi. Secus vero non. Unde hos passus non gaudere declaravit eadem S. congregat. Immun. sub anno 1634 in Spoletana relata a Donato de Asylo, resol. 43, num. 1 et 2. Vide ibi Pignatell. et totam consult. 25, ubi multa erudite.

(21. Affertur aliud consimile decretum, ut sequitur. Licet die 9 Febr. 1694, l. i deer. Valleman., p. 104, declaratum sit, atrium circumductum muris ante ecclesiam Beatae Mariæ Montis Virginis extensum per quadraginta passus gaudere immunitate, attamen, mandante sanctissimo, ordinarius declarat eidem loco non suffragari amplius immunitatem ecclesiasticam, et reputari tanquam non immunem, et insuper ne possit allegari ignorantia, et ad perpetuum documentum apponat in loco opportuno lapidem cum præfata declaratione. Sac. congr. Immun. in Nullius Montis Virginis 11 Decemb. 1687, l. n decret. Vallem., pag. 125 (85).

(22. Immunitate gaudet monasteria et conventus, cap. *Quisquis* 21, caus. 17, q. 2, leg. *Omnia privilegia*, cod. de Episcop. et

(85) Vide laudatum Zech cap. 6, § 150. Censent aliqui sacros canones spatium 40 vel 50 passuum concedere tantum reo progredienti ex ecclesia, qua jam fuit receptus, nequaquam autem immunem reddere eum, qui intra hoc spatium deprehenditur an-

cleric.; Constitut. Gregor. XIV incip. *Cum alias monasteriis, domibus regularibus, locisque sacris, aut religiosis*; Fagnan., loc. cit. n. 28; Barbosa, loc. cit. num. 72, et *Communis* aliorum. (23. Eadem immunitate gaudent omnia loca intra eorum septa, scilicet claustra, Cellæ ac habitacula, imo etiam eorumdem monasteriorum horti, aræ, domus Familiarum, stabula animalium, officinæ, cunctaque alia loca quæ intra monasteriorum septa continentur, arg. l. *Pateant*, cod. de his qui ad ecclesiam confugiunt, ibi: «Nec sola altaria, et oratorium, etc., sed quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, aræis, atque portibus confugiat, interioris templi vice tueatur;» et cap. *Id constituimus* 36, caus. 17, q. 4, et cit. Constitut. Gregorii XIV incip. *Cum alias*; Barbosa, loc. cit. num. 72; Lezana verb. *Immunit.*, num. 3; Portell. in dub. Regular. verb. *Immunitas*, et *Communis* aliorum. Vide infra sub num. 45.

(24. Item immunitate gaudent villæ, sive grangiæ, quas etiam recreationis gratia habent regulares. Sic habetur ex privilegio concessio ab Eugenio IV Cisterciensibus, et consequenter omnibus aliis cum illis communicantibus, quod privilegium ex compendio ordinis Cisterciensis refert Eman. Rodericus, tom. II, quæst. Regular. qu. 75, art. 2, his verbis: «Concessit quod grangiæ monasteriorum Cisterciensium, sicut ecclesiae atria pravorum hominum incursu, et violentia liberæ, et quietæ debeant esse, ita ut nemo in eis hominem capere, spoliū aut ruinam exercere præsumat in virtute Spiritus sancti inhibendo statuit.» Sic ex hoc privilegio late probat card. de Lugo in Respons. moral. lib. iii, dub. 13, per totum, ubi num. 3 refert, quod cum quidam episcopus sacr. congregat. Romæ super hoc consulisset, respondit: «Si capella illa erat in grangia, observandum privilegium;» Villalobos, in Summa, tom. II, tract. 39, difficul. 5, n. 6; Peregrinus, de Immunitate, cap. 4, num. 58; La Croix, lib. iv, sub num. 1392; Diana, part. vi, tract. 1, resolut. 6, vers. *Et tantum* in fine, et alii contra Barbosam, loc. cit., num. 76; Gambacurt., lib. i, cap. 4, n. 7; Trullench, lib. i, c. 11, dub. 1, n. 6; Lezanam, tom. III, verb. *Immunitas*, num. 3. Qui tamen auctores ideo negarunt talem immunitatem, quia, ut dicit Card. de Lugo, loc. cit., num. 2, vel non viderunt supra allatum privilegium Eugenii IV, vel illius memores non fuerunt.

(25. Omnia loca religiosa, ut seminaria, hospitalia, nosocomia, orphanotrophia, et hujusmodi auctoritate episcopi erecta gaudent immunitate asyli; *Communis*; arg. cap. *Ad hæc* 4, et cap. *Ne nimia* 9, de Religiosis domibus; leg. *Sancimus*, cod. de SS. Ecclesiis, leg. *Omnia*, cod. de Episc. et cler. (26. Item immunitate gaudet domus collegii de

tequam ad ecclesiam perveniat. Adi Haunoldum de Justit. et jure, tom. vi, tract. 1, n. 152, et P. Wiestner de Jure asylosum, p. 2, art. 1, n. 20. (EDIT. BARBIELL.)

propaganda fide; sac. cong. *Immunitatis* die 8 Mart. 1650. (27. Confugiens ad SS. Eucharistiæ sacramentum, quod portatur ad ægrotum, vel inde reportatur, aut in processione circumfertur, gaudet immunitate; Barbosa, loc. cit., n. 69; Layman., loc. cit., num. 4; Silvester, verb. *Immunitas* in 1; Reiff., loc. cit., n. 48, et *Communis* aliorum; et Pignatell., tom. VI consult. 4, n. 89, ubi affert declarationem sac. congreg. editam in Melitensi, 29 Maii 1628, tenoris sequentis: « Carceratus sequens, et manu tenens fimbriam vestis sacerdotis redeuntis ad ecclesiam cum SS. Eucharistiæ sacramento gaudet immunitate. » (28. Item gaudet immunitate etiamsi solum se associet processioni sanctissimi, aut illis qui sanctissimum comitantur; Barbosa, loc. cit., num. 69; Diana, part. 1, tract. 1, resol. 28; Reiffenstuel, loc. cit., num. 49, et alii passim, et Pignatell., loc. cit., num. 90, ubi affert declarationem sac. congreg. ut sequitur: « Associans processionem sanctissimi sacramenti gaudet immunitate; » 30 Septembris 1636 (86). (29. Qui confugit ad crucem existentem in via extra civitatem, gaudet immunitate ecclesiæ, si adsit consuetudo; sac. cong. *Immunit.* in Melevitana, 1 Decembr. 1638, lib. III decr. Paul. pag. 81 (87).

(30. Capellæ, seu oratoria in palatiis, aut domibus privatorum non gaudet immunitate; Pignatell., tom. I, consult. 93, ubi testatur de communi, et citat plurimos doctores, tom. VI, cons. 4, num. 103, ubi affert decretum, ut sequitur: « Capellæ privatorum palatiorum non gaudet immunitate; » sac. congreg. episcop. et regul. in Marsicana, 17 Nov. 1617, et sac. cong. *Immunit.* in Perusina, 9 Dec. 1631; La Croix, lib. IV, sub num. 1392; Barbosa, lib. II *Juris eccles. univers.*, c. 3, n. 68, et in *Summa Apostolic. decis. verb. Immunitas*, num. 5, referens utrobique citatum decretum, et cit. cap. 3 citans plurimos alios doctores, et Riccius in *Synopsi*, verb. *Capella*; ubi refert sequens decretum: « Capella vero privati palatii regulariter non gaudet immunitate; » sac. cong. *Imm.* in Tudertina 4 Jun. 1663, lib. decr. Rocci, pag. 489; (31. Fagnanus vero lib. III, decretal. in cap. *Ecclesiæ* 9, de *Immunit.* num. 23, cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel, loc. cit. n. 43, et alii volunt talia oratoria etiam in domibus privatorum, dummodo auctoritate episcopi sint erecta, gaudere immunitate, quia ut dicunt ipsi, cum talia oratoria sint vera loca religiosa, nec amplius ad usus profanos applicari possint; cap. *Ad hæc* 4, de *religiosis* domibus, ac insuper jurisdictioni, et visitationi episcopi sint subjecta, non minus debent gaudere immunitate, ac oratoria publica episcopi auctoritate erecta. Ad citata autem decreta

(86) Nempe propter honorem eucharistici numinis, inquit Zech. § 755, defertur ecclesiæ singularis reverentia: multo magis igitur id præstandum ipsi sacramento corporis Christi, præsertim cum etiam emfugientibus ad statuum principis libertas concessa sit. (EDIT. BARBIELL.)

omnes contrarii doctores respondent esse intelligenda, et respective interpretanda de oratoriis et capellis sine auctoritate episcopi erectis, uti plura habentur in domibus privatorum, quæ cum religiosa non sint, et ad nutum domini domus iterum ad usus profanos possint applicari et converti, quamvis de licentia papæ aut Episcopi in eis super altare portatili celebratæ fuerint missæ, non debent gaudere immunitate asyli, uti tenent communiter doctores, et censuit sacra cong. in relatis decretis.

(32. Ecclesia campestris gaudet immunitate; sac. Cong. *Immunit.* in Brundusina, 18 Decemb. 1694, lib. I decr. Vallem., pag. 162. (33. Ecclesia enim quælibet, dummodo sit fundata auctoritate episcopi, gaudet immunitate ecclesiastica, etiamsi non fuerit benedicta; arg. cap. *Ecclesiæ* 9, de *Immunitat.* *Ecclesiar.* et expresse sac. congreg. *Immunit.* in Anconitana, 19 Jun. 1635, lib. II decr. Paul., pag. 226. (34. Imo locus in quo construitur ecclesia, jam injecto solemniter primo lapide, est immunis; sac. cong. *Immunit.* in Januen., 5 Octobris 1688, lib. decr. Martelli, pag. 358. (35. Capellæ, sive ecclesiæ in arcibus sive castellis existentes gaudet immunitate; s. cong. *Immunit.* sub anno 1653, apud Pignatell., tom. VI consult. 4, n. 121. (36. Ecclesia sita in Fortalitio S. Urbani gaudet immunitate *Eccles. sac. cong. Immunit.* in Bononien., 16 Jul. 1675, lib. I decr. Altov., pag. 1122.

(37. Capella carcerum vel contigua carceribus non gaudet immunitate; S. Cong. *Immunit.* in Tudertina, 12 Junii 1663; apud Pignatell. tom. I, cons. 471. (38. Capella contigua, ut dicitur, *Al corpo di guardia*, erecta, ut milites ibi degentes audiant missam maxime diebus festivis, permittitur declarari non esse locum immunem; sac. cong. *Immunit.* in una *Nullius Orbetelli*, 16 Feb. 1683, l. III decr. Altoviti, pag. 143. (39. Capella ruralis, vulgo dicta *una Maestà*, posita in publica via, nisi probetur fuisse constructam auctoritate ordinarii, non gaudet immunitate; sac. cong. *Immunit.* in Spoletana, 2 Martii 1642, lib. III decr. Paul. pag. 171. (40. Mandante sanctissimo clauduntur capellæ civitatis, etiam cum muro, attento quod confugiti committunt continuos abusus et scandala, et onera missarum transferantur in alias ecclesias arbitrio episcopi; sac. cong. *Immunit.* in Lycien., 19 Maii 1679, lib. I decr. Altov., p. 1249. (41. Quando capella existens in palatio gubernatoris est perpetua et invariabilis, confugiens ad eam gaudet immunitate; secus si sit variabilis, et non perpetua; S. cong. *Immunit.* in Tudertina, 7 Maii 1658, lib. decr. Rocci, p. 89. (42. Capella vero privati Palatii, ut jam dictum est sub. n. 30, regula-

(87) Id fuit a S. C. responsum ex canone 19 concilii Claromontani ab Urban. II habiti ann. 1095: « Si quis ad aliquam crucem in via, persequentibus inimicis, confugerit, liber ac si in ipsa ecclesia permanet. » (EDIT. BARBIELL.)

riter non gaudet immunitate; ead. sac. congregat. in eadem Tudertina, 4 Junii 1663, lib. decr. Rocci, pag. 489.

(43. Domus confraternitatis gaudere debet privilegio Immunitatis ecclesiasticæ, sac. cong. *Imm.* in una civitatis Castelli 23 Julii 1652, lib. IV decr. Paul., pag. 189. (44. Locata vero laicis non gaudet; eadem sac. cong. *Immunitatis* in Reatina, 14 dec. 1628, lib. I decr. Paul. pag. 115. (45. Sic immunitate non gaudet apothecæ laicis locatæ habentes ingressum ex platea vel via publica; eadem sac. cong. *Immunit.* in Narniensi 27 Febr. 1662. (46. Nec gaudet immunitate domus contigua ecclesiæ, quæ præter januam viæ publicæ correspondentem, habet etiam egressum in choro ejusdem ecclesiæ, maxime si sit laicorum; ead. s. cong. *Immunit.* in una Pennensi 28 Febr., 1662. (47. Gaudet tamen immunitate domus ecclesiæ, quæ inservit pro habitatione sacristæ, etsi ab ecclesia disjuncta; ead. sac. cong. *Immunit.* 28 Febr. 1662; apud Pignatell. tom. I, consult. 456. (48. Item immunitate gaudet domus annexa et addicta ecclesiæ; eadem sac. cong. *Immunit.* in Portuen., 30 Martii 1666, lib. decr. Borrom. pag. 151 et 154.

(49. Domus a suffraganeo Veliterno conducta gaudet immunitate, præterquam in parte reservata locatori. Tenetur tamen suffraganeus impertiri licentiam pro transitu super parte ab eodem conducta, pro faciendis executionibus a curia sæculari contra locatorem; eadem sac. cong. *Immunit.* in Veliterna, 14 Januar. 1696, lib. I decr. Vallem. pag. 5. (50. Domus contigua ecclesiæ gaudet immunitate; eadem sac. congreg. *Immunit.* in Firmana, 8 Januar. 1695, lib. I decr. Vallem. pag. 165. (51. Sic domus contigua ecclesiæ, ad quam habet aditum; ad viam publicam vero medio Cortili, gaudet immunitate; eadem sac. cong. *Immunit.* in Theatina, 31 Jul. 1674, lib. I decr. Altov., pag. 976. (52. Domus contigua ecclesiæ, a qua nullus patet aditus ad ecclesiam, et laicis locata, non gaudet immunitate; eadem sac. cong. *Immunit.* in Marsicen., 16 Jun. 1682, lib. III decr. Altov., pag. 51, et in Pisaren., 16 Julii 1686, ibi pag. 583. (53. Domus commendæ religionis Hierosolymitanæ habens in inferiori parte cauponam habentem communicationem internam media parte domus superioris cum ecclesia, non gaudet immunitate, et claudatur aditus ad ecclesiam; ead. sac. congregat. *Immunitat.* in Perusina, 27 Maii 1687, libr. decr. Martelli, pag. 107. (54. Domus posita super sacristiam confraternitatis laicis locata non gaudet immunitate eccles.; eadem sac. cong. *Immunit.* in Reatina, 4 Decembr. 1728, lib. I decr. Paul., pag. 115. (55. Domus, in qua habitat vicarius sanctissimæ Inquisitionis,

(88) De ædibus parochi dubium jam pridem proposuerunt Saxones Nicolao V, an curia plebani gaudet tanta immunitate sicut ecclesia cum sit extra cæmeterium constructa. Respondit pontifex, ut refert Raynaldus, *Annal. Eccles.* tom. XVIII, ad annum 1447, num. 28, per Alphonsum episcopum Valenti-

num, qui postea in pontificatu Calisti nomen sumpsit, dicendum est quod si est infra 40 passus majoris ecclesiæ vel infra 30 minoris ecclesiæ gaudet immunitate; alias non. (EDIT. BARBIELL.) (59. Domus canonicales gaudet immunitate; eadem sac. cong. *Immunit.* in Florentina, 9 Maii 1694, lib. I decr. Vallem., pag. 120. (60. Non est permittendum ædes canonicales in canonica existentes locari per canonicos laicis ad inhabitandum; ead. sac. cong. *Immunit.* in Lauret. 16 April. 1652, lib. II decr. Paul., pag. 180. (61. Imo episcopus hanc locationem prohibeat sub pœnis sibi bene visis; ead. sac. cong. *Immunit.* in Perusina, 14 Maii 1652, l. II decr. Paul., pag. 184 et 23 Septemb. 1692, lib. decr. Crim., pag. 200. (62. Et quidem sub pœnis pecuniariis, arbitrio episcopi, ead. sac. cong. *Immunit.* in Mantuana 16 Augusti 1704, l. III decr. Vallemani, pag. 618. (63. Laudatur archiepiscopus Florentinus ob reintegrationem ecclesiæ mediis censuris procuratam in causa perquisitionis factæ auctoritate laicali in domibus canonicalibus; eadem sac. cong. *Immunit.* in Florentina, 8 Maii 1594, lib. I decr. Vallem., pag. 226. (64. Ob perquisitionem et extractionem rerum e cubiculis cathedralis, clericus absolvatur arbitrio episcopi, impositis gravibus pœnitentiis salutaribus; ead. sac. cong. *Immunit.* in Perusina, 25 sept. 1695, l. II decr. Vallem., p. 147. (65. Domus præposituræ contigua Ecclesiæ gaudet immunitate, etiam respectu bonorum ibidem existentium, quamvis pars ejusdem domus sit laico locata, eadem sac. cong. *Immunit.* in castris durantis sive in Urbanien. 19 Augusti 1630, lib. II decr. Paul., p. 54. (66. Domus parochialis gaudet immunitate, eadem sac. cong. *Imm.* in Comen., 25 Febr. 1698, lib. II decr. Vallem., p. 158 (88). (67. Etiamsi ab ecclesia distans (89), modo

num, qui postea in pontificatu Calisti nomen sumpsit, dicendum est quod si est infra 40 passus majoris ecclesiæ vel infra 30 minoris ecclesiæ gaudet immunitate; alias non. (EDIT. BARBIELL.)

(89) Intellige ad Nicolai V sententiam, modo intra 40 vel 50 passus posita sit. (EDIT. BARBIELL.)